

plicatis Sacramentis satis diximus, nempe *Confiteor*, etc. Quam Confessionem quisque recitare potest sua vernacula lingua: est enim Oratio communis. De facto in Sacerdotali Brixin. habetur *Confiteor* Germanica lingua conscriptum, pag. 190. et recitari potest sive ab Infirmo, sive a Ministris. seu Adstantibus, nomine Infirmi.

§. X. Antequam Parochus incipiat ungere Infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent; et ubi commodum fuerit, pro loco, et tempore, et adstantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniiis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat: *In nomine Patris, † et Filii, † et Spiritus †. Sancti.*

57 48 Jam diximus in §. 8. nullum esse Sacramentum aliud, quod pluribus precibus ministretur quam hoc. Ecce modo initium precum publicarum, quae ab adstantibus fieri debent per septem Psalmos Poenitentiales, et Litanias, quas tamen existimat, ex praecepto Ecclesiae, non esse necessarias, Bonac. *g. un. punct. 6. nu. 7.* Barbos. *d. n. 41.*

59 De Psalmis Poenitentialibus, et Litaniiis suo loco dicemus, modo tractandum est de supplemento harum precum, si non adesset Populus, qui hos Psalmos recitare valerent, utpote saepissime datur in Villis, et Oppidis. In hoc casu si Parochus illos recitare nequeat (Est enim tunc temporis ad alium ministerium intentus, et alia verba debet promere) credo quod sufficiat, si dicti Adstantes recitent alternatim *Pater*, et *Ave*. Donec expedita sit inunctio Infirmi. De facto Sacerdotale Brix. p. 192. utitur his verbis in sua instructione: *has ipsas, vel alias preces recitare possit*: unde patet, quod possint tales Orationes pro loco, et tempore, et adstantium numero, et qualitate mutari.

60 61 62 Ministratio itaque hujus Sacramenti initium sumit a Signo Crucis, cum quo per auxilium SS. Trinitatis inchoatur quodcumque opus Christianum a Fidelibus, ut bono eventu ad finem suum perveniat. Haec prima actio Impositio manuum appellatur: quamvis enim Rituali non exprimat super quam Personam fieri debeat hoc triplex signum Crucis, nihilominus Sacerdotale Brixinen. satis clare docet fieri debere super Infirmum cum manu dextera: et ista elevatio manus est ad imitandam antiquam manuum impositionem, quam faciebant Apostoli super aegros, ad illos sanandos, prout loquitur

Evangelium: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.*

63 Ad alium finem etiam fiebat elevatio, seu impositio manuum, nempe ad infundendum Spiritum Sanctum, ad consecrandum, et ad alia: circa quae vide Durant. *de Sacr. Rit.* Paoprie ista actio, seu ista Oratio (de qua in praesenti Rubrica) est exorcismus contra potestatem Diaboli in anima commorantis propter peccata, cujus causa quandoque, et saepissime infirmitates oriuntur in humano corpore, S. Chrysost. *hom. 38. in 8. Matth.*

§. XI. Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit Infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum, etc.

64 65 Expeditus Sacerdos ab antedicta Oratione, ad actum unctionis devenire debet, pro quo advertit Corsett. *sect. 11. num. 7.* quod ipse Sacerdos, si adsint alii ministri, per se nihil in manibus teneat, sed Acolythus librum habeat, alter Candelam, alter vero Vasculum Olei a dextris ejus; et sic nihil aliud peragere habeat, quam ungere. Ubi vero non adsint Ministri, ipse Vasculum aperire, et tenere debet manu sinistra, non nudum, sed purificatorio involutum ad evitandam effusionem.

66 67 Ad hoc ut ista effusio non eveniat, sufficit, ut Sacerdos intingat summitatem pollicis, ubi adest ejusdem digiti pupula, non vero unguis. Et notandum, unguem ejusdem pollicis non debere esse adeo prolixum, et productum, ut Oleum sub eo latere possit.

68 Instante morte, si dubitetur, Infirmum, priusquam absolvatur totaliter Extrema Unctio, moriturum, poterit Sacerdos unquam partem ungere sub formula quinque sensuum, etiam sine consueto signo Crucis, Corsett. *d. sect. 1. n. 16.* Vide in fine antecedentis Tituli.

69 Crucis signum adhibetur in cunctis Sacramentis ministrandis, quia cum ortum suum habeant a Christi Sanguine in Cruce effuso, non melius exprimi potest eorum fons, et origo.

§. XII. *Per istam Sanctam Unctionem, † et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, etc.*

70 Ab oculis incipi debet haec Unctio, quia oculi custodes

sensuum appellantur a S. Ambrosio in *Examer.* et Fenestrae Animae, per quas intrat Diabolus.

72 73 Ut commode inungantur oculi, debent claudi, et Unctio fieri super ambas palpebras. Sed si ab alio sensu, seu organo commodius inciperetur haec Unctio, non servato ordine a Rituali praescripto, adhuc completa remaneret significatio: iste enim ordo non est necessarius necessitate Sacramenti, sed praecepti, Possevin. *d. c. 9. num. 14.*

73 Quoad significationem formae: *Per istam Sanctam Unctionem: etc.* notandum est, efficaciam Sacramenti nullo modo pendere ex vi Orationis Sacerdotis, prout est opus operantis, sed ex vi promissionis Christi, quare non minus habet infallibilem effectum, quam alia Sacramenta, Coninck. *d. disp. 19. dub. 4. n. 14.*

74 Ulterius cum eodem Doctorem notandum; Verba illa *Per suam piissimam misericordiam*, non posse sine gravissimo peccato omitti, secundum omnes; utrum autem sint essentialia, non satis constat: videntur enim satis intelligi sub verbo *Indulgeat*, quod significat miserationem, Coninck *d. n. 15.*

§. XIII. Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eaque in Vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

75 De hac abstersione diximus in §. 1. hujus Tituli, et de ejus Ministro, qui saltem debet esse Subdiaconus, quia sic est propior ad Sacramenta: secus vero si non adsit, peragatur haec abstersio ab ipsomet Sacerdote ungente.

76 77 Pro repositione autem bombacii, seu alterius materiae, quae huic abstersioni inservivit, advertere debet, non debere bombacium reponi in Bursa eadem, in qua portatur Vas Olei Sancti, quoniam, cum materia proculdubio uncta sit, male inservit ad inungendam Bursam, seu thecam ipsiusmet Vasculi: a quo abusu valde cuperem, ut Parochi abstinerent: ideo aliud Vasculum, seu aliam Bursam ad hoc destinatam habere deberent, in qua reponerent Bombacium perunctum, et micas Panis, cum quo digitos expolierunt.

§. XIV. Ad Aures; ad Nares; ad Os, compressis labiis; Ad Manus. Et advertet, quod Sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interius, sed exterius. Ad Pedes;

Ad Lumbos, sive Renes. Haec autem Unctio ad Lumbos, ut dictum est, omittitur semper in Foeminis, et etiam in Viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt.

78 *Ad aures.* Scilicet in lobulo, vel ima auricula; non in helice, vel alveolo ejusdem, ut facilius abstergi possit.

79 *Ad nares.* Nempe ad narices, quae sunt Nasi alae laterales, ad evitandam sternutationem, quae aliter faciendo, facile oriretur.

80 81 *Ad os, compressis labiis.* In hoc loco Unctio una esse debet, cum qua utraque labia tangantur, atque ideo dicit Rubrica: *compressis labiis*, quia sic commode fieri potest. Sed si Infirmus non audiret, et esset in agone positus, ore hianti, tunc Sacerdos non debet curare, ut labia comprimantur, ne clauso ore, respiratio intercludatur, cum magno Infirmi periculo, sed sufficit, ut labium seu superius, seu inferius ungetur ad libitum suum.

82 83 *Ad manus.* Hoc est in media palma utriusque manus, haec enim tota comprehendit sensorium tactus. De Sacerdote in exteriori parte manuum inungendo jam dictum fuit in §. 16. *Tituli antecedentis.*

84 85 *Ad pedes.* Unctio Pedum fieri solet in Infirmis ad metatarsum pedis, quod vulgo dicitur *collo del piede*. Si vero Infirmus non valeat pedes movere prae laxitudine ex morbo proveniente, ungetur ea pars, quae commode magis prostat.

86 87 88 *Ad lumbos.* Quando in Viris fieri commode possit haec Unctio, sufficit, ut inungantur latera supra summam coxendicem, seu supra Os Ischion, sed leviter, ne a tactu illius adeo sensitivae partis, suboriatur, ut facile est, improvisa titillatio, et exinde vel tussis, vel aliud incommodum.

De non ungendis Foeminis ad lumbos, vide quae scripsimus in §. 15. *Tituli antecedentis*; ubi clare tractatur haec materia.

§. XV. Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit: *Kyrie eleison, etc.*

89 90 Prius tamen reponere debet Sacrum Oleum, et similiter abstergere digitum suum inunctum, necnon sibi manus lavare, et abstergere. Attamen ne multum distet ministratio

Sacramenti, seu Unctio ab applicatione, quae fit mediantibus sequentibus Precibus, et Orationibus, poterit Sacerdos tantummodo deponere Vasculum Olei Sancti, et digitum inunctum caute gestare, ne aliquid tangat; et interim prosequi Orationes praescriptas, transferens ablutionem, seu abstersionem manus ad finem Orationum, et Precum. Ita etiam praescribit Sacerdotale Brixinen. *cap. 2. de hoc Sacramento: atque hoc praecipue servari debet si aeger ad mortem praecipiti passu progrediretur.*

Orationibus, et precibus praescriptis in Rituali absolutis, Sacerdos lavet manus, digitos tergat cum medulla panis, et omnia reponat in Sacculo, seu Vase ad id parato. Insuper Oleum in sua theca bene claudat, et in Bursam immittat, suspendatque eam noviter ad collum, ut ad Ecclesiam suam deferat, et in locum suum consuetum recondat.

§. XVI. Ad extremum, pro Personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus Infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas Daemonum tentationes roboretur.

91 92 Decet post Sacramenti administrationem, ut insalutatus non dimittatur Infirmus; ideoque ad illum accedens Sacerdos, vultu composito inter laetitiam, et gravitatem, hortetur placide, et verbis suavibus, ut morbum hunc patienter ferat: in hac Cruce gloriatur usque ad mortem, fortiter certet, nec Diabolo tentanti locum det. Mortis, ac Passionis Christi JESU memor sit; necnon Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis, quibus communis est, innitatur, Beatissimam Virginem, Sanctos Patronos suos, et Angelum Custodem suum sedulo invocet, Sacerd. Brixin. *c. 21. p. 200.*

93 Haec tamen monita praebenda sunt praecipue iis, qui assueti non essent in vita ad eliciendos similes actus. Religiosis vero, et bene moratis Viris, sufficit, ut breviter innuantur. Nihilominus in casu agonis non illaudabile esset eadem repetere Viris etiam pietate insignibus: inserviunt enim ad illos excutiendos, si mentis torpore laborarent, nec tam facile ex se possent similes actus habere.

§. XVII. Denique Aquam benedictam, et Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquet, ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur, et amplectatur.

94 Facilis est ubique Benedictio Aquae, ideo si relinquere nolit Sacerdos Aquam a se delatam, novam benedicat ut illam frequenter adhibeat Infirmus ad fugandas Diaboli tentationes.

Item Crux relinquenda est cum Imagine Crucifixi, ut ex memoria Passionis ejus consoletur, videns quanta, et qualia passus sit Christus Jesus Deus, et Homo pro salute Animarum nostrarum.

95 In Nosocomiis, seu Infirmorum Hospitalibus statim ac Sacramenta ministrata sunt alicui Infirmo, illi praebetur Crux tenenda, vel ad pedes plantata, vel ad latus, ut facile illam intueatur.

96 Praeter Crucem, et Aquam benedictam, nihil aliud relinquere debet Sacerdos in domo Infirmi: non Cottam, non Stollam, non Rituale, ne a Faemellis in illa degentibus, seu a Pueris percontactentur; secus vero si in illa domo habitaret aliquis Sacerdos, vel Clericus, tunc relinqui possunt, ut ab illis custodiri, et rite servari possint.

§. XVIII. Admoneat etiam domesticos, et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel Infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque Animam Deo commendet: Sed si mors immineat, priusquam discedat Sacerdos, Animam Deo rite commendabit.

97 98 99 100 Administrato Sacramento Extremae Unctionis, nihil pro illo tunc remanet agendum a Parocho, usque dum Infirmus in eodem statu permaneat. Nova obligatio illi tantum injungitur si morbus ingravescat; et de hac mutatione moneri debet a familiaribus, ut praesto sit ad commendandam illius Animam. Proprie vero ipse Parochus recusare non debet illum visitare semel, et bis in die ex justitia, ut communiter docent Doctores. Quod si viderit mortem illi imminere (quod facile dignoscetur) tunc non discedat, sed ad commendationem Animae procedat, prout a Rituali praescribitur. Si vero non sit aeger morti proximus, non debet in illo tunc Parochus Animam illius commendare, quia non est in transitu, seu in mortis agone. Quod satis intempestive solent facere nonnulli, qui ut tempus commodum captent, nec redeundi incommodum patiantur, ex eo quod ibi sunt ad Extremam Unctionem ministrandam, subito ad commendationem Animae transitum faciunt, uno et eodem contextu, et quasi per modum unius: qui abusus intolerabilis est: commendatio enim Animae, tunc cum

non est in proximo discéssu, quasi ad nihilum valet, quia extra tempus, et inopportune.

§. XIX. Quae autem pertinent ad Visitationem, curamque Infirmorum, et ad juvandos morientes, ad commendationem Animae, et ad exequias, infra suis locis praescribuntur.

Atque ideo et nos suo loco, de his tractabimus, animadversionesque faciemus, cum nihil hic eas facere praestet.

SEPTEM

PSALMI POENITENTIALES

CUM LITANIIS.

TITULUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Psalmi Poenitentiales, ex universo Psalterio Davidico collecti.
- 2 Quare vocentur Poenitentiales?
- 3 Fuerunt in usu ante tempora Divi Augustini.
- 4 Peccata hominum septem modis remittuntur.
- 5 Peccata capitalia septem sunt.
- 6 Quare septem Psalmi recitentur flexis genibus.
- 7 Quandoque recitantur ambulando in Processionibus.
- 8 Ad quid recitentur in ministracione Extremae Uctionis.
- 9 Non est de praecepto ista recitatio in hoc loco.
- 10 Boni effectus derivati a recitatione horum Psalmorum.
- 11 Absolute olim inchoabantur.
- 12 Antiphona: *Ne Reminiscaris* desumpta ex Tobia.
- 13 Litania quid significet?
- 14 Non dicitur Laetania, ut nonnulli perperam scribunt.
- 15 Quotuplex sit Litania?
- 16 Majores, cur ita appellentur?
- 17 Minores, quare sic dictae?
- 18 Breves, cur tali modo nuncupentur?
- 19 Opinio Auctoris circa Litaniarum divisiones.
- 20 Litania hoc loco sumitur pro invocacione Sanctorum.
- 21 Antiquitus Litaniae erant multifformes.
- 22 Sancti Titulares non possunt addi in Litanis absque licentia.
- 23 *V. A flagello Terraemotus* superadditus a Clemente XI.
- 24 *S. Joseph* nomen additum in Litanis a Benedicto XIII.
- 25 *Pater noster* cur dicatur secreto?
- 26 Psalmus post Litanias est exultationis.

In Administratione Sacramenti Extremae Uctionis facta est mentio de Psalmis Poenitentialibus recitandis in Cubiculo Infirmi ab adstantibus, usque dum Sacerdos munere suo fungitur